5

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

AD SUPREMAM

DIVI PETRI CATHEDRAM

EVECTO

NICOLAUS DE JULIIS

EXULTANTIS GAUDIO ANIMI

ARGUMENTUM

D. D. D.



ROMÆ cIↄIↄCCLXXV.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONIUS

SUPERIORUM FACULTATE.

SS. DOMINI NOSTRI

PII SEXTI

PONTIFICIS MAXIMI

NOMEN, ET OMEN

Tytirus, & Formosus Pastores

AMŒBÆO CARMINE CONCELEBRANT.

ECLOGA.

Poeta.

EST prope Romulei latices, & Tibridis undas
Hortus odoratis semper viridissimus herbis,
Consitus arboribus, dominantis regia Floræ;
Areolæ hinc, atque hinc vernant gemmantibus herbis,
Totque fovet gremio flores, quot littora conchas;
Non alio florum discrimine ridet Agellus;
Quam picta innumeris Cythereja concha lapillis.
Hic labyrinteo serpens vaga lymphula flexu,
Conciliat faciles crepitanti munere somnos.
Tytirus hic pulchras carpens modo pollice calthas;
Et modò vernantes, gratissima, munera tymbras
Purpureas inter violas, interque amarantos;
Forte quiescebat, cura relevatus ab omni.
Lassus erat: lassis subrepsit somnus ocellis,

Dum virgulta ſimæ tondebant dente Capellæ ;
Cum ſubito inſolitis reſonat clamoribus Æther ;
Et quæ ſulphureo crepitant tormenta ſub igne ,
Igne laceſſita horrendum dant æra fragorem .
Excutitur ſomno ; nec imagine luſus inani
Obſtupet , atque novi quid jam eveniſſet in Urbe ,
Ignorat penitus ; magnaque cupidine pectus
Æſtuat , ut noſcat , quæ ſint nova gaudia : quando
En Paſtor Formoſus adeſt ; & talia fatur .

Form. Tytire cur ſolus ſterili hac ſpatiaris arena ?
Et tua nobiſcum non confers gaudia ? quando
Omnis io Populus: plaudit quoque ab Æthere Phebus
Nunc calamos inflare decet ; nunc dicere carmen
Dulcius ; ipſe Deus quando hæc bona gaudia nobis
Contulit ? Ut veniunt hilares ad paſcua tauri
Conſpicis ? ut que leves ſubſultant æquore damæ
Unus iners , mæſtuſque jaces taciturnus in umbra .

Tyt. Quæ nova gaudendi ſurrexit cauſa repente ,
Pande precor , Formoſe , feres pro munere grates .

For. Accipe, quandoquidem tua juſſa faceſſere dignum eſt.
Luna quater toti lumen ſubtraxerat Orbi ;
Et quater optata jam luce repleverat Orbem ,
Jamque reſumebat quinto nova cornua motu .
Urbs fidei ſedes , legum , morumque Magiſtra ,
Mæſta ſilens viduata ſuo jam Præſule ; Numen
Et prece continua , lacrimiſque precatur obortis
Extemplò ſi forte velit concedere Mæſtæ

Unde

Unde novo Viduam decoret citò Præſule ſponſam.
Audiit Omuipotens; Cælique ex parte ſiniſtra
Ter lævum intonuit; fractiſque in nubibus, Iris
Adfuit: inde polo tenues dilapſa per auras
Alituum Regina potens; non fulmina portans,
Palladiæ ſed dona Deæ; viridantis olivæ
Ramum: non defecturæ bona fædera pacis;
Labitur; & Præſul, qui ſit de ſtemmate monſtrat.
Ergo continuò ſelectum ex omnibus unum,
Te, poplite inflexo, Paſtorum Maxime, adorant
Purpurei Patres, electum nomine dicunt.
Plaudit io Populus; ſapiens plauditque Senatus,
Et ſacrum de more canunt Pæana Puellæ:
Hinc feſtiva cavis reſonant tinnitibus Æra.
Et quæ ſulphureas ejectant Æthere flammas
Tormenta; accenſiſque fugant funalia noctem
Luminibus; feſtiſque ſonat concentibus Æther.
Attonitas hærere boves; hærere capellas
Hiſce oculis egomet vidi; nec paſcier herbis.
Tyt. Sed tamen hic Paſtor, qui ſit, da denique nobis.
Form. Iſte PII nunc Nomen habet; verum antea dictus
ANGELUS; unde tamen tali ſit nomine dictus
Accipe; namque decet præclari nominis Omen
Edidiciſſe ſui; & meritas cognoſcere cauſas.
Eſt Garampeo pene contermina colli
Urbs, olei, cereriſque ferax; uberior uvis;
Quam vitreis Iſapus aquis diverberat; & quam

Fonte cadens parvo ; modicoque impulſus ab imbre
Punicea ſemper Rubicon allabitur unda :
Heroum generoſa parens ; quos educat Orbi
Alma parens , multum belloque , Foroque potentes
Quam modo Cæſenam , Senam dixere Priores .
Hæc dedit infanti prima incunabula nato ,
Sugebat quando diſtentas lacte papillas ;
Implebatque ſuis querulis vagitibus auras .
Illum luſtrales tunc cum baptiſmatis undæ
Abluerent ; fama eſt , cælorum culmine lapſos
Aligeros foviſſe ſinu ; moreſque dediſſe
Angelicos ; nomenque ſuum ; ſic inde vocatus
ANGELUS ; & tanti menſuram nominis implens .
Angelico ſtuduit vitam componere more
Tyt. Quod tamen Aligeri dederunt pro munere nomen .
Cur in diverſum mutavit poſtea nomen ?
Form. Jam nitidum vitæ dubios Ver ibat in Annos ,
Et primo malas ſignabat flore juventus ;
Cum ſubito puerum Pietas ſuſcepit alendum
Atque ſuos docuiſſe ſtudet Dux Æmula Recti
Angelicum juvenem mores : ſub moribus ætas
Grandior apparet ; radiatque modeſta voluptas
Frontis ; & Angelici majeſtas grata pudoris .
Egreſſum foribus non dedignatur Euntem
Ponè ſequi ; & dubios juvenis componere greſſus
Tres illi agglomerat Socias ; quas Ætere ab alto
Arceſſit Mater ; laterique adjungit Euntis .

Pri-

Prima oculos velata ſuos ; ſignumque ſalutis
Dextra tenet ; lævaque manu demonſtrat olympum .
Veri prima baſis ; fundamentumque ſalutis .
Altera , quæ medios hominum ſe miſcet in actus ,
Conſcia præteriti , & ſortis præſaga futuræ .
Alma fides illi ; huic ſolers Prudentia , nomen .
Jungitur his niveum oſtentans frontis honorem ,
Ora gravis ; cultuque decens ; blandeque rigenti
Fronte , metum facili permiſcens caſta pudori .
Relligio hæc jam nomen habet,Numenque Supremum
Exerit inſculptum radianti lumine fronte .
Fidere Prima Deo juvenem docet : Altera centum
Prædita luminibus fortem objectare periclis
Conſtantemque animum dictat ; non cedere rebus
Ambiguis ; Vulgi nec deſpexiſſe furores ;
Nec metuiſſe nimis , medioque incedere calle .
Tertia non molli vitam traducere luxu ;
Nec patitur tempus fulvo pretioſus auro ,
Luſibus ; aut vanis unquam triviſſe loquelis ;
Edocet , ut flexo Supremum poplite Numen ,
Supplicis os , animumqun gerens jam pronus adoret .
His ducibus , fauſti quid non ſperare licebat !
Jam Pietas , jam ſancta Fides ; jam neſcia fuci
Relligio ; & primis ſapiens Prudenria luſtris
Romani ſacrant Juveni primordia Regni
Fallor ? An extemplo triplici diademate frontem
Cingit ? Et electo concordi nomine donant

Æternus Genitor, Genitus, Concorſque duorum
Spiritus, Ætherei quo poſſit claudere Regni
Atque aperire fores; animaſque immittere Cælo?
Non equidem fallor: Petri ſed ſede potitus
Ipſe memor Matris, Matris de nomine dici
Imperat; inde PII venerabile nomen adeptus
Orbe PIUS toto vocitatur ab ordine SEXTUS.

Tyt. Verum age, quid patrio depicta in ſtemmate ſignant
Symbola: quid Flos, quid ventus, quid lilia dicunt;
Quidve avium Regina biceps; diademate utrumque
Cincta caput: numerata novem quid ſidera ſignant?
Pande precor, Formoſe, tuiſque ediſsere dictis.

Form. Floſculus in medio conſurgit ſtemmate Vernus;
Cui lenè aſpirant auræ, Zephirique tepentes
Jucundum Floræ; & non aſpernabile donum.
Fronte duplex inſculpta manet Jovis armiger Ales;
At dextrum tenet una latus, ſed calce ſiniſtrum
Altera; & extenſas habet utraque in aere pennas;
Atque pedes laxos; ambarum regia frontem
Serta colunt; aurí rutilo compacta metàllo:
Quattuor ín toto floreſcunt lilia campo;
Terque tria enumerat lucentia ſidera Stemma.

Tyt. Aſt ego, quæ Formoſe refers modo ſymbola vidi:
Sed quid portendunt, ignoro: pande roganti.

Form. Floſculus in medío conſurgens ſtemmate odorus,
Cui blande arrident auræ, Ziphirique faventes
Quid quid id eſt; geminum de culmine caulis

Ex-

Explicat ille caput; lateque effundit odorem;
Sive fit Idalia Rofa flos deductus ab ora;
Seù Viola; aut Pæftanis certans Anemone rofetis.
Confpicuum forma, generofaque ex indole natum
Paftorem monftrat: divino Numine flante:
Inter Paftores Paftor celfiffime, gaude.
Tu Flos, Tu Sol, quem numero Deus eligit omni.
Flante Deo, Petri veneranda in Sede locaris.
Aurea cum niveo radiant permixta colore
Lilia; & effufo canefcunt candida lacte.
En ut odoratam viridanti caudice frontem,
Ad cubitos jam pene duos fua culmina tollunt;
Atque humiles recto defpectant vertice flores:
Virginea ridente coma, tellure recedunt
Virgineum cæno maculet ne terra nitorem
Tyt. Quam bene Paftori aptantur lilia Summo
Lilia quando quidem morum candore, nivefque
Exuperat; fupraque homines ab honore locatur.
Form. Non tamen aut humiles, aut afpernatur Egentes;
Quin & fubfidio fovet; & folatur Egenos.
Cuique fuum fapiens meritum partitur honorem.
Tyt. Hæc poft infequitur duplex pennata per artus
Alituum Regina biceps; cui vertice plumæ
Affurgunt facræ; rutilo diademate frontem
Circumcincta fuam; multoque tumentia faftu
Ora, pedefque tenens; extenfis Æthere pennis:
Trans evecta Notos os imperterrita Soli

Obj-

Objicit ; & Phœbum non caligante tuetur
Lumine ; & obtutu radiantis ſpicula Solis
Suſcipit, hærenteſque negat convertere Ocellos.
Form. Principis ingenium ; nec non & mentis acumen
Alituum Regina notat ; quæ terrea ſpernens
Regna, volat præceps igniti fulminis inſtar,
Supra hominum tecta, ac montes ; ſupraque volucres
Aſtrifero donec Cælo potiatur aperto.
Non cænoſa ſapit Princeps ; non terrea ; ſpernit
Blandimenta ſuo non unquam congrua cordi.
Non illi obtuſum ; aut longa rubigine læſum
Sed dedit ingenium rerum Natura creatrix
Immenſique capax, & Sole nitentius ipſo:
Civilis, Sacrique Fori quod jura tuentur
Ipſe tenet ; Naturæ fibras, & viſcera rerum,
Et quodcumque latet potis eſt comprendere mente.
Tyt. Sed módo quid ſignent lucentia ſtemmatis aſtra,
Dic age ; quaſve notent rutilantes Æthere Stellas ;
Fors triſtes hyadas, lycaonioſque Triones?
Fors Helicen,hydramque trucem,gelidumve Bootem?
Quæ tempeſtates, pluviam, friguſque, niveſque
Portendunt ; panidæ metuendaque fulmina Terræ?
Form. Non : Sed quæ tacitæ per amica ſilentia noctis,
Candida cæruleo collucent ſidera Cælo.
Quale decus Cæli ; Terræ quam grata voluptas ;
Nox ubi jam media eſt ; condunt nec ſidera nubes,
Æthereas vidiſſe plagas ; tot lumina ; totque
Agmi-

Agmina Stellarum Cælo digesta sereno:
Quæque suis affixa locis formare cohortes
Atque ut perpetuum subeunt non fessa laborem.
At si sæva movent pelago certamina venti,
Inclusam rabiem; & sparsuras astra procellas,
Parturit unda maris, fundoque emota minaces
Expirat per saxa sonos; atque acta cavernis
Torquet anhelantem spumanti vortice pontum:
Et Ratis adversas, vento impellente, per undas
Ducitur; & quid agat pavidus jam navita nescit;
Alma polo Cynosura viam, tutumque salutis
Monstrat iter; dubiosque regit mox lumine gressus
Te quoque quas patrium radianti lumine, stellæ
Stemma refert certè, Præsul celsissime, signant.
Luce tua toto fugit insanabile virus
Hæresis; errorum fugit orbe insana caterva;
Nam licet impellant irato murmure venti
Atque simul coeant; Riphæus turbitet Eurus.
Urgeat & Boreas; quasset Notus; Africus instet:
Te Ductore, Ratis Petri volat alma procellis
Tutior in mediis; æstusque illudit, & austros:
Tu Cynosura Ratis, Tu stella potentior omni
Turbine, pandis iter, regis, & statione quietam.
Illa licet jactata diù; crebrisque petita
Ictibus; obruitur nunquam; victrixque minarum
Tendit in immensum fidei confinia Regni.

Tit. Vera nè, quæ Formose, refers; an somnia fingis?

Form.

Form. Vera equidem: capreas teſtor; tauroſque bicornes.
Tit. Ergo age Paſtori quoque nos bona munera demus:
Demus amœbæo deductas carmine laudes.
Form. Incipe: tu major; cantu poſt ponè ſubibo.
Tit. Plaudite io Sylvæ; io vos jam plaudite Colles.
Alma Ceres; formoſa Pales; formoſa Lycoris;
Huc hilares veſtris a ſedibus uſque venite:
Hic & virgineo decerpite pollice flores;
Multiplici intextas componite flore coronas;
Serta venuſtatis Paſtorem floribus ornent
Inſanire juvat; juvat indulgere Choreis
Ite procul gemitus; animi procul ite dolores.
Form. Plaudat io Tibris; plaudat Tarpeja Rupes.
Najades undarum proles, Dryadeſque puellæ;
Et quæ feſtivo completis carmine Sylvas;
Huc celeri properate gradu; fidibuſque canoris
Et nemus, & Sylvæ; reſonet quoque cantibus Æther;
Alma dies, formoſa dies; lux aurea venit.
Exulet hinc mæror, luctus procul exulet omnis.
Tit. Plaudite io Sylvæ; io vos jam plaudite colles.
Proſpera ſors etenim noſtros inviſit agellos;
Sæpe mihi hanc ſortem, niſi mens ignara fuiſſet,
Inſolitos avium memini, prædicere cantus,
Sæpe etiam annoſa prædixit ab ilice Cycnus.
Fortunata dies, qua non felicior ulla!
Impavidæ poſt hac carpent, mea cura Capellæ
Gramina; nec noſtros unquam fur auferet hædos.

Ite

Ite procul gemitus ; animi procul ite dolores .
Form. Plaudat io Tibris ; plaudat Tarpeja Rupes
Pulcher adeſt nobis Paſtor ; pulcherrimus omnes
Inter Paſtores ; quos inclita Roma recenſet .
Os Olli natura dedit ſublime ; decuſque
Egregium formæ ; pinxitque ex murice malas ;
Fronte ſub auguſta geminos dedit igne micantes
Sideribus ſimiles oculos , blandeque ſeveros
Quantus honos frontis ; facilis quæ gratia vultus !
Quantum majeſtatis ineſt , dum ſede curuli
Progreditur gaudentum humeris, plauſuque Quiritum;
Quidve animo verſet curarum ; conſule vultum
Principis ; & dices ; nihil eſt mortale quod optat .
Tantus in ore Deus , cui ſceptra Vicaria geſtat ;
Emicat . & merito curru quocunque curuli
Fertur ; adoratum Populus ſua genua reclinat .
Atque preces , voceſque pias ad ſidera tollens ;
Neſtoream incolumi vitam de corde precatur .
Exulet hinc mæror ; luctus procul exulet omnis
Tyt. Plaudite io Sylvæ ; io vos jam plaudite colles
Non hominum cædes poſthac , non furta ; dolive ,
Non fraudes ullæ : ceſſere pericula ; regnat
Pax ; quæ ſidereo perfundit nectare terras ;
Exulat en maleſuada fames ; & turpis egeſtas ;
Hæc ego vaticinor tanto bene Præſule digna
Ver eſt æthereum ; placidique tepentibus auris
Demulcent Zephiri natos ſine ſemine flores .

Ite

Ite procul gemitus ; animi procul ite dolores.
Form. Plaudat io Tibris ; plaudat Tarpeja Rupes.
Tytire quid cunctamur adhuc ? juvat ire ; pedesque
Illius amplecti ; millenaque figere plantis
Oscula ; queis nostrum quoque nos testemur amorem
Exulet hinc mæror ; luctus procul exulet omnis.
Tyt. Jam Formose præi ; veniam quocumque præibis.
Form. Plaudite io Sylvæ : io vos jam plaudite colles ;
Ipse meo rubicunda feram corallia trunco
Pastori ; atque rosas , violasque , & lilia , & addam ,
Multiplici nuper textam de flore coronam :
Quam mihi Pastorum non ultimus attulit Ægon :
Ægon me cecinisse docet ; fidibusque canoris
Et nemus , & Sylvas ; sylvarum , & numina , Nymphas ,
Demulcere ; leves simul , & lusisse choreas.
Ite procul gemitus ; animi procul ite dolores.
Tit. Plaudat io Tibris ; plaudat Tarpeja Rupes.
Ipse PIO nivei SEXTO mulctralia lactis
Bina feram ; binos avulsos ubere Matris
Addam hædos , duplicis pastos de lacte parentis ;
Cornibus expertes ; grata & pinguedine plenos
Fors erit , ut nostros non dedignetur honores.
Munera parva quidem ; certum sed pignus amoris
Exulet hinc meror , luctus procul exulet omnis.
Form. Plaudite io Sylvæ , io vos jam plaudite colles.
Ast ego longævæ describam in cortice quercus
Pastoris nomen : quercu crescente , manebit ,

Æter-

Æternum nostri monimentum, & pignus amoris;
Hos etiam ferro cœlabo in cortice versus:
Siste, Viator, iter; supplex tua munera SEXTO
Redde PIO: Duce quo redierunt aurea Romæ
Sæcula; quo Duce, toto pax regnavit in Orbe.
Urbis delicium: cunctis venerabile Numen
Ite procul gemitus; animi procul ite dolores.

Poeta.

Interea, Princeps, quod lusimus, accipe carmen,
Æquoreo, sed non lituo, tenuive cicuta;
Mæonio potius laudandus carmine, & arte.
Attamen exiles, quas possumus, accipe laudes:
Fors erit, ut calamo quondam, conchaque relictis,
Heroa tandem merita celebrabere musa.
Illius ipse Pii discreto ex ordine Quinti,
Cujus odorato redolent altaria fumo,
Ecce tenes: sed non vacuum, nec nominis umbram
Ipse tenes: fluit idem per tua viscera sanguis
Ghisleria de stirpe Sato, qui fluxit; & idem
Ardor virtutis; sacri & reverentia cultus:
Idem utrique animus mentem super æthera tollit.
Quintus ad Echinas Turcarum cæde Tyrannum
Fregit; & Æquorei tumuerunt sanguine fluctus
Sextus non armis; fuso non sanguine: verum
Consilio, pietate; & mentis acumine, cuncta
Sedis Apostolicæ, & Fidei teterrima vicit
Monstra, simul legesque suas, & jussa facessunt.

Macte

Macte igitur virtute nova, Pater inclite; Regnum
Omine ſuſceptum felici: fauſtius imple.
Neſtoreæ finem precor egrediare ſenectæ;
Mente ſub auguſta quando prudentia regnat
Neſtoris; & toto cæleſtibus æmula flammis
Orbe micat; radioſque ſuos diffundit ubique.

FINIS.

